Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Tu quoq; si ambulaueris coram me sicut ambulauit pater tuus dauid et feceris iusta omnia que precepi tibi et iustitias meas iudicia q; mea seruaueris sim sublimabo thronum regni tui sicut pollicitus sum dauid patri tuo dicens non auferetur de stirpe tua uir qui sit princeps in israel. Si aut auersi fueritis et dereliqueritis iustitias meas et precepta mea que proposui uobis et abeuntes seruieritis dis alienis et adoraueritis eos euellam uos de terra mea quam dedi uobis et templum hanc quem edificauit nomini meo proiciam a facie mea et tradam eum in parabolam et in exemplum cunctis populis et domus ista erit in prouerbium omnibus transeuntibus et dicent stupentes quare fecit sic dominus terre huic et domui huic. Et respondebunt quia dereliquerunt dominum deum patrum suorum qui eduxit eos de terra egypti et apprehenderunt deos alienos et adorauerunt eos atque coluerunt idcirco inuenerunt super eos uniuersa ista mala

Expletis uero XIII annis postquam edificauit salomon domum domini et domum suam ciuitates quas dederat hyram salomoni hedificauit et habitare ibi fecit filios israel. Abiit quoq; in emath soba et obtinuit eam et edificauit palmiram in deserto et alias ciuitates munitissimas edificauit in emath extruxit q; bethoron inferiorem et bethoron superiorem ciuitates munitissimas habentes portas et uectes et seras. Balaat etiam et omnes urbes firmissimas que fuerunt salomonis ciuitates q; urbes quadragintarum et urbes equitum et omnia quecumq; voluit salomon atq; disposuit edificauit in urbem et in libano et in uniuersa terra potestatis sue omnem plenitudinem qui dereliquerat de cetheis et amorreis et pherezeis et euheis et iebuseis qui non erant de stirpe israel. de filiis eorum et depositis quos non interfecerant filii israel subiugauit salomon in tributarios usq; in diem hanc porro de filiis israel non posuit ut seruirent operibus regis. Ipsi enim erant uiri bellatores et duces primi et principes quadragintarum et equitum eius. Omnes autem principes exercitus regis salomonis fuerunt ccl. qui erudiebant populum. filiam uero pharaonis transtulit de ciuitate dauid in domum quam edificauerat ei. Dixit autem rex non habitabit uxor mea in domo dauid regis israel. eo quod sanctificata sit quia ingressa est in ea archa domini. Tunc obtulit salomon holocaustum domino super altare domini quod extruxerat ante porticum. ut per singulos dies offeretur in ea iuxta preceptum moysi in sabbatis et in kalendis et in festis diebus ter per annum. id est in sollempnitate azimorum et in sollempnitate ebdomadarum et in sollempnitate tabernaculorum. Et constituit iuxta dispositionem dauid patris sui officia sacerdotum in officiis suis et leuitas in ordine suo. ut laudarent et ministrarent coram sacerdotibus iuxta ritum. Iuniuscuiusq; diei et ianitores in diuisionibus per portam et portam. sic enim precepserat dauid homo dei. nec preterierunt de mandatis regis tam sacerdotes quam leuite. ex omnibus que